

37

RECTOR  
ACADEMIAE LUDOVICIANAE  
LVD. HENRICVS  
LEO HILCHEN,  
MED. D. ET PROFESSOR PVBL. ORDIN.  
VNA CVM TOTO  
*SENATV ACADEMICO*  
LECTIONES AESTIVAS  
SINGVLORVM PER OMNES FACVLTATES  
PROFESSORVM,  
PVBLICAS ATQVE PRIVATAS  
*GENERE, VIRTVIE AC DOCTRINA FLORENTISSIMIS*  
ALMAE GIENSENAE  
CIVIBVS  
INDICIT ATQVE SEDVLO COMMENDAT  
*DIE XVIII. APRIL. ANNO MDCCXL.*  
SVB SIGILLO ACADEMIAE MAJORI.

---

GIESSÆ, Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.



*In Facultate Theologica,*  
**IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*SS. Theol. D. eiusdemque P. P. O. Superintendens, Consistorialis,  
& Stipend. Princ. Ephorus:*

**H**istoriae Fanaticorum, ad finem perductae, nunc istorum doctrinas loco publicarum lectionum addet, easque disputationis more suis auditoribus proponet. Privatim Theologiam Moralem ex multorum desiderio ad B. BVDDEI & B. D. RAMBACHII ductum docebit, inque textibus sacris, horis alibi statis, concinne elaborandis, ac pro concione proponendis & animi & corporis presentiam lubens declarabit.

**D. REINH. HENR. ROLLIUS,**  
*S. Theol. Prof. Ord. Senatus eccl. Assessor, ac districtus Alsfeld.  
Superint. Fac. Theol. h. t. Decanus.*

**P**ublice in HISTORIA THEOLOGIÆ LITERARIA, superiore semestri cœpta, hora decima strenue perget, ea- que ad finem perducta insignem D. JO. WOLFGANGI JÄGERI tractationem, de fædere gratia ejusque oeconomia, sub septem veteris & novi testamenti periodis, qua plurimis scripturæ sacræ locis lux affunditur, explicabit, eoque ipso ad sacrarum literarum interiora penitus cognoscenda sanctioris disciplinæ alumnos manuducere studebit. Privatim, absolutionis Dei gratia lectionibus dogmaticis, LIBROS ECCLESIAE NOSTRÆ SYMBOLICOS hora septima aggredietur, præmis- sisque præliminaribus de debita illorum affirmatione, hoc ipso, quod nunc bono cum Deo ingredimur, semestri in AUGUSTANAM CONFESSIONEM ejusque APOLOGIAM ita

\*) 3 (\*

ita commentabitur, ut tradita primum utriusque symboli *hi-*  
*storia*, scitu perquam necessaria, singulorum articulorum *ana-*  
*lysin* atque *exegesin* propinet, dubiaque passim occurrentia,  
ne fraudi sint examen pro munere quodam sacro in poste-  
rum ingressuris, qua fieri potest dexteritate resolvat.

## IO. HERMANNVS BENNER

*SS. Theol. Prof. Ord. & Paedagogiarcha.*

**P**ublice commentabitur in epistolam ad Titum, theologiae  
*moralis & pastoralis* fontem vberinaum. *Priuatim* theo-  
logiam *dogmaticam* consueta ratione tradet, vel *Baiero* du-  
ce, vel quoquis alio recentiore. *Sanctioris doctrinac* *praxie*  
separatis horis luculenter exponet. *Homileticas* quoque scho-  
las aperiet, vsu quam praceptis secundiores. Ad disputa-  
tiones, tum publicas, tum priuatas, operam suam offert. Ro-  
gate fundi dominum, vt neque messorem seges, neque mes-  
sem operarius destituat.

## ERN. FRIDER. NEVBAVER,

*SS. Theol. Doct. eiusque Prof. publ. extraord.*

**T**heologiam *homileticam* publice, ad ductum *praeceptorum*  
*homileticorum* b. RAMBACHII, hic loci excusorum; pri-  
uatim alias *sanctioris scientiae* partes, quae desideratae fue-  
rint, in primis *historiam ecclesiasticam* N. T. & *exegeticadocebit*.

## *In Facultate Juridica.*

### D.JO. FRIED. KAYSER,

*Consil. Hasso-Darmstadt. Antecessor & rerum Oeconomicarum  
in Alma Ludoviciana Inspector perpetuus.*

**P**ost absolutas Lectiones *Juris Canonici*, quibus adhuc se-  
dulo incumbit, hac estate novum Collegium *Juris pu-*  
*blici*

blici, ad ductum CASP. HENR. HORNII incipiet, ope-  
ramque dabit, ut, pro desiderio Dn. Dn. Commilitonum, in  
aliis quoque Jurisprudentiae partibus studia ipsorum pro-  
movere queat.

## D. JO. FRIED. WAHL,

P. P. O:

In publicis lectionibus, desideriis Dnn. Auditorum sese ae-  
commodaturus, vel illustr. Dn. BOEHMERI institutio-  
nes juris canonici, vel ejusdem doctrinam de *Actionibus*, ex-  
planabit, privatim vero prælectiones ad LAUTERBACH.  
compendium pandectarum, ad finem perducere conabitur: in  
aperiendis quoque novis scholis, suam qualemcumque ma-  
nuactionem desiderantibus annuet.

## HENR. CHR. SENCKENBERG,

D. Consil. Regim. & P. P. O. p. t. Decanus.

Publice I. exponet Elementa Juris ad ordinem Compendii  
HEINECCIANI, hora VIII. matutina. Privatim doce-  
bit II. Historiam Juris Canonici, Romani in Italia, patrie  
rum Publici tum privati communis ac feudalis, hora IX. ad  
filum thesum a se compositarum. III. Jus feudale, juxta or-  
dinem in primis lineis Juris feudalis a se expositum, hora  
X. Vt & IV. Processum Juris Universum junctis elaboratio-  
nibus, secundum theses a se ante annum confectas, quibus  
Processus summorum Imperii Dicasteriorum est innexus,  
hora XI. Plurimis vero licet negotiis pressus, nec deerit a-  
liis votis Dnn. Commilitonum, nec officiis quibuslibet.

## JOH. HARTMUTH RAYS,

Jur. Utr. D. & Prof. Publ. Ord.

In scholis publicis Institutiones Juris Canonici, Auctore III.  
BOEH-

BOEHMERO, in privatis vero *Institutiones Juris Civilis* explicabit. Novum quoque *Pandectarum collegium* duabus in dies horis prælegendum auspicabitur. Et cum sint, qui *practicum* præterea rogaverunt *collegium*, nec his deerit, sed hac illud adornabit ratione, ut eorum causa, quorum maxime interest nosse, quæ quoad processum in judiciis HAS-SIÆ nostræ singularia sunt, ordinationem processus provincialem cum processu juris communis conferat, & utriusque tam convenientiam quam differentiam commonstret.

## ERN. CHRISTOPH. ARNOLDI,

*Prof. Jur. Publ. & Facultatis Jurid. Assessor.*

PUBLICE *Institutiones* exponet. Privatim perget in Collegio ad *Compendium Juris Lauterbachii* nuper cœpto, & ad Struvii *Jurisprudentiam* ac utrumque propediem absolver. Nova etiam sive privati, sive publici, sive feudalis *Juris*, collegia, quæcunque futuris Dominis Auditoribus placuerint, instituet. Denique in peculiari quod desideraverunt Auditores collegio, notivam Statuum Europæorum ex *Geographia B. Parentis* tradet, ac si que usibus suis dicanda alia seduli Auditores existmaverint, nuspianam non lubens fidam præstabit operam.

## *In Facultate Medica.*

## D. JOH. CASIMIR HERTIUS,

*P.P.O.*

PUBLICE plantarum demonstrationibus operam dabit: Privatim vero usus muscularum, juxta Winslovii, quem hactenus secutus est, pariter ductum, aut si visum potius fuerit, *Splanchnologiam* exponet.

---

---

## LUD. HENR. LEO HILCHEN,

*b. t. Facultatis Med. Decanus.*

PUBLICE in Cel. TEICHMEYERI Institutiones Materiæ Medicæ commentabitur. Privatim praxin specialem tradet & in cursu universæ Medicinæ, quem superiori semestri B.C.D. cœpit, impigre perget.

## D. GERARDUS TABOR,

*P. P. O.*

PUBLICE per instans semestre æstivum Chemiam ad ductum B. ROTHII Manuduct. ad Chem. docebit.

---

*In Facultate Philosophica.*

## CHRISTOPH. FRIDERICVS AYRMANNVS,

*Philos. & Histor. Prof. p. & Bibliothecarius Acad.*

POSTQUAM ab hora II. ad III. absoluerit Historiam universalem, statim auspicabitur Historiam litterariam ductu Conspectus HEUMANNIANI. Ab hora IV. ad V. continua bit Historiam Imperii Romano-Germanici, & deinde Historiam particularēm politicām inchoabit. Et quoniam nuper Caesaris scripta historica cum Paraphrasi sua Germanica euulgauit, eius ductu priuatū stili purioris historici praesertim addiscendi cupidis inseruire haud grauabitur. Nec denegabit operam suam in Geographicis, Heraldicis, Re numaria &c. si idonei & grati auditores obuenerint.

## JAC. FRID. MULLER, P. P. O.

PUBLICE docebit Logicam, privatim Ontologiam, Psycho logiam

logiam & Pneumatologiam, nec in aliis, quæ a Philosopho requiri possunt, suam operam desiderari patietur.

## IO. LVDOV. ALEFELD,

*Philos. nat. Prof. Ord.*

PUBLICE rursus *Physicam* docebit, id cum primis operam daturus, ut solidis omnia superstruantur fundamentis, & scientia haec nobilissima a principiis libere assumtis fictisque hypothesisibus, quibus hodieque scatet, quantum fieri potest, repurgata proponatur. Privatum *Anthropologiam* physicam tradet, & e disciplinis moralibus *Ius nat. ac gentium* secundum seriem libelli *Pufendorfiani de Off. H. & C.* illustrabit.

## D. ERNEST FRID. NEVBAVER,

*Antiqq. nec non sacrar. & orientis lingg. P.P.O.*

QVAM libri *apocryphi* non numquam etiam pro concione explicari soleant, & paucissimi plerumque sint, qui eos in fonte legerint: animum haber, publice eos ex graeco fonte interpretari, cum versione b. LVTHERI contendere, stilum noui foederis inde illustrare, variisque adspersis observationibus textum exponere. Incipiet vero ab illis libris, quos patres ecclesiae ob abundantiam virtutum, & diuinæ, qua referti sunt, moralis doctrinae παναγέτος vocarunt, *Siracis* scilicet & *sapientiae* libro. Privatum nemini, operam suam in *graecis*, *ebræicis*, *orientalibus*, *antiquitatibus* poscenti, deerit.

## CHRIST. LVDOV. GERSTEN,

*Math. Prof. Ord. & R. S. Lond. Soc.*

PUBLICE. Dioptrices Catoptrices atque Astronomiæ elementa explicabit. Privatum cursum Mathematicum de novo

( 8 )

---

novo exordietur. Et si quæ suar alia *Honoratiss. Comilitonum*  
honesta desideria , his ut satisfaciat omni opera allaborabit,

## CHRISTOPH.LVD. RVDIGER,

*Prof. Philos. extra ord. Definitor & V.D.M.*

**T**antum sacra mihi demandata prouincia otii per vnde-  
viginti annorum decursum reliqui cum fecerit, studio-  
sam iuuentutem, quæ latine fari probe nouit, mea opella  
iuuare vt integrum mihi fuerit, iuuat, per instantem aesta-  
tem, *publice*, non ea solum quae in S. R. D. ROLLII Line-  
am theol. naturalis capita supersunt bono cùm Deo explica-  
ta reddere; sed *priuatim* etiam, in cursu Philosophico, sic  
ordine postulante, vel ad ductum lineam phil. practicae B.  
**RECHENBERGII**, disciplinas practicas omnes cursim per-  
currere, vel quibus inspecie, in Ethicis WEISII nucleus, in  
iure naturae PVFFENDORFII offic. H. & C. in politicis B.  
**MOLLENBECII** aphorismi siue B. Cancell. HERTII elem.  
prud. ciu. vel denique in doctrina decori, propriae medita-  
tiones, arriserint; ii de iure suo, haec vel alia sanioris philo-  
sophiae capita, ipsis vt inculcarem ex me postulare poterunt.

---

**H**abebunt etiam Generosi & Nobilissimi Cives occasionem in arte eque-  
stria, in ludo palæstra, in arte commode & perite saltandi, nec non  
in linguis exoticis, Gallica, Italica, apud exercitiorum istorum & lin-  
guarum magistros, publica auctoritate constituos, admodum  
idoneos proficiendi.

\* \* \*